

36

fratris proditores supplicio affecisse, flevisse etiam, quotiens illius imaginem, aut statuam conspexerit, ac demum ipsum inter Deos retulisse; Alteram, quod non solum maximos, & inauditos honores Plautiano tributos scribant Historici, ejusque salutem pari precio habitam fuisse, ac ipsorum Augustorum testetur lapis duabus pariter lineis abrasus apud Grut. p. XXXIX. 3., verum etiam, quod Plautiani nomen e pluribus publicis monumentis, quibus consignatum fuerat, odio Caracallæ erasum fuisse, exploratissimum sit ex lapide Colotiano apud Gruter. p. CCLXX. 6., & alio p. XLVI. 9., quibus accensendas esse, non modo Arcus Septimii in Clivo Capitolino, alteriusque in Foro Boario Inscriptiones contendit Vir doctissimus, sed quotquot alia reperiuntur ad tempora Severi spectantes, in quibus abrasio aliqua deprehendatur.

Verum non ex sunt rationes ab eruditissimo Viro allatæ, ut me, de sententiâ tantorum Scriptorum calculis firmatâ, huc usque dimoverint. Etenim, ut certum est nomen Plautiani in iis duabus Gruteri Inscriptionibus erasum fuisse, ita quoque certum arbitror in tot aliis monumentis Getæ nomen erasum, quæ ille omnia per nimiam vim ad suum Plautianum detorqueat. Id autem, & ex antiquis Historicis, & ex vetustis Inscriptionibus manifesto deprehenditur.

Licet enim Spartianus nusquam scribat, jussu Caracallæ Getæ nomen erasum, quod Nardino excidit, plura tamen narrat, ex quibus recte inferitur, Antonini odium fratris sanguine expleri non potuisse, sed etiam post ejus mortem grassatum fuisse. In Caracall. *Dixit præterea in castris, fratrem venenum sibi parasse, matri eum irreverentem fuisse, egitque publice gratias his, qui eum occiderunt; non multo post: quum flentem matrem Getæ vidisset, aliasque mulieres post necem fratris, mulieres occidere conatus est: ac deinde; Iisdem diebus occisi sunt innumeri, qui fratris ejus partibus faverant: occisi etiam liberti, qui Getæ administraverant.* Postea vero Papiniani mortem describens, inquit; *atque ideo unâ cum his, qui fautores fuerant Getæ, a militibus non solum permittente, verum etiam suadente, occisum.* In Getâ. *Occidere voluit, & matrem Getæ, novercam suam, quod fratrem lugeret, & mulieres alias, quas post reditum de curiâ flentes reperit.* Teste igitur ipso Spartiano deprehendimus Caracallæ odium in Getam fratrem, etiam post ipsius mortem, publicis signis testatum. Sed, clarius quam Spartianus, hæc narrat Herodianus lib. IV. ex Angeli